



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LI. de dispensatione ad incompatibilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

Baccalaureum deducit à voce *Buccellarius*, qui Visigothorum ayo & tempore Gregorij Turonensis Stator aut Satelles regius dicebatur.

Argumenta in Regul. Li. INNOCENTII VIII.

1. **R**egula hæc non comprehendit Baccalaureos juris.
2. Clausula in fine posita, refertur ad omnia contenta in eadem dispositione.
3. Dispensatio ad duo incompatibilia, intelligitur de duobus primis.
4. Hæc regula concernit expeditionem litterarum, ideo non est danda.
5. Hæc regula non est inter regulas Pauli v. & quare.
6. Pontifices interdum dispensant ad plura beneficia, maximè in Germania & Polonia.
7. Dispensatus ad plura beneficia intra certum tempus, quo finitio, si non dimittat aliud, primo erit privatus ipso jure, & si verumque retinere contendat, utroque.
8. Dispensatio non prodest ei cui beneficia canonice non sunt collata.
9. Execrabilis demum excurrit pœnam execrabilitatis post pacificam secundam possessionem, non sterilem, sed quæ commodo fructuum fruatur.
10. Effectus possessionis consistit in perceptione fructuum.
11. Qui est in mora, vel negligentia quominus fructus recipiat, censetur pacificè possidere, & incurrit in pœnam execrabilitatis.
12. Episcopus seu Legatus non potest dispensare in duobus residentiam requiringibus.
13. Clausula restrictiva in dispensatione ad duo incompatibilia, & nu. 12.
14. Gradus Baccalaureatus, non est necessarius ad gradum doctoratus in Italia nec Belgio. Sed aliud in Gallia & Hispania: & unde deducatur Baccalaureus.
15. Stylus Romanæ Curie est, ut dispensatus ad unum beneficium obtinendum possit in permutatione primum dimittere, & aliud admittere absque nova dispensatione.
16. Dispensatio de obtinendis duobus intelligitur de duobus primis.
17. Dispensatus ad plura beneficia censetur dispensatus à residentia.
18. Cum conceditur aliquid, omnia censentur concessa, sine quibus concessio uti non possumus.
19. Dispensatus ad duo beneficia sub eodem tecto, poterit illa retinere, etiam si alteri beneficio sit unitum aliud in eadè Ecclesia, quamvis hoc in dispensatione non fuerit expressum.

Nnn

Regula

Regula LI. INNOCENTII. VIII.

DE DISPENSATIONIBVS QVOAD
INCOMPATIBILIA.

Item voluit, statuit, & ordinavit quod super obtinendis incompatibilibus beneficiis in Theologia Magistris, & in iure Canonico vel Civili Doctoribus, & in illis cum rigore examinis, ac eadem Theologia Licentiatis, aut formatis Baccalauris, ac magnis Nobilibus, per *Fiat quinquennium*, & addito ut petitur, quod vixerit ad duo incompatibilia, aliis vero per *Fiat biennium*, & addito ut petitur, triennium ad duo, dummodo non sint duae dignitates maiores post Pontificales, seu principales in Collegiatis Ecclesiis, aut duae Parochiales Ecclesiarum, aut tales mixtim, cum potestate permutandi, si petatur.

GLOSSEMA ALPHONSI.

- A** *I*sta Regula dicit quod quando petitur dispensatio quoad duo incompatibilia, & Papa dicit simpliciter *Fiat*, tunc graduatis hic expressis, vel magnis nobilibus datur quinquennium in Cancellaria & si non sint graduati, tunc datur biennium: sed si signatur dicat fiat ut petitur, graduatis, & nobilibus, datur quoad vixerint; alijs vero ad triennium: & hoc intelligitur, dummodo non sint duae dignitates post Pontificalem aut principales in collegiatis, vel duae parochiales, aut tales mixtim, id est una parochialis, & una dignitas maior post Pontificalem &c: & datur cum potestate permutandi si petatur in supplicatione, hoc dicit ista regula: quae venit ad declarandum notata in c. de multis de preben. ibi circa sublimes & litteratas personas &c: & qui sunt isti magni nobiles dicit supra Regula proxima: & non debemus excedere quoad graduatos terminos hic positos: id est ista regula non debet extendi ad baccalarios in legibus, vel in iure canonico: quia si Papa voluisset expressisset, c. ad audientiam de decimi. sed quando simpliciter dicitur de graduatis, secus esset, ut dicit supra regula proxim. & ista clausula in fine posita ibi dummodo &c: debet referri ad omnia precedentia, tam ad graduatos, & nobiles, quam ad alios: quia clausula in fine posita refertur ad omnia contenta in eadem dispositione c. inquisitioni de app. fac. dict. doct. in l. si servus plurim. §. fin. & in l. talis
- B**
- C**

talís scriptura & quad. in littera ibi not. ff. de leg. 1. ideo per predictam signaturam non dispensatur ad duas parochiales, nec ad dignitates post Pontificalem &c. etiam cum magnis nobilibus, aut cum graduatis, per predicta: & ita servatur in curia.

D Item in quantum hic dicitur quod detur potestas permutandi si petatur in supplicatione, & non si petatur in Cancell. & ponitur ista clausula propter cap. non potest. §. 1. de preb. lib. vi. quia dispensatio ad duo incompatibilia intelligitur de primis duobus &c.: sufficiat. l. boves §. hoc sermone ff. de verb. sig. credo tamen quod cum tali signatura Camera transisset tempore Sixti bullas ad vitam in virisq; hic expressus & ratio est quia de facili dispensabatur ad tria incompatibilia, ergo &c. arg. c. quoad translationem de off. lex. & circa hoc nobiles, & graduati habebant prerogativam verbo tenus, & non cum effectu respectu aliorum, tempore tamen Domini nostri Innoc. non de facili dispensatur, etiam cum nobili, & graduato & circa incompatibilia, & arbitror quod dubitabit hoc cancell. tamen servat hanc regulam, & credo quod non sit danda, quia concernit expeditionem bullarum, & tamen habet decretum irritans, & est verum.

COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

Ista regula) Sed nec hanc Regulam suis Reg. inserverunt posteriores Potifices, tum quod pluralitas beneficiorum canonibus sit inimica cap. Sanctorum 70. dist. tum quod non soleant dispensare quoad incompatibilitatem, nisi gravi urgente causa, ut nimirum quoad ejus fieri possit, conforment se sacrosancti Concilij Trident. dispositioni, quae multifariam damnat pluralitatem beneficiorum, ut constat. ex cap. 4. Sess. 7. & cap. 17. Sess. 24. Et licet interdum dispensent, hoc sic ex gravi aliqua causa, ut in Germania & Polonia propter haereses, aut nobilitatem, per quam teste Staphileo de litt. grat. tit. de Prerog. expectantium nu. 3. sublevatur & defenditur Ecclesia, quae per pauperes deprimitur & expilatur. Nec opus habet Papa derogare expressè Concilio Trid. cum in eo fuerit excepta auctoritas S. Sedis, ut fuit resolutum in una Bononien Prioratus 9. Junij 1609. coram R. P. D. Mauzanedo, quae Rota decisio extat apud Farinacium part. 2. decis. 179. nu. 6. in Novissimis. Verum, quando Papa dispensat, id facit ad tempus, intra quod nisi dispensatus alterum dimittat coram Papa, vel etiam Ordinario, ut vult Rebuff. in praxi tit. de disp. ratione aetatis in verbo quoad dixeris nu. 9. erit primo privatus ipso jure, & si retinere utriusq; contenderit, privabitur utroq; efficieturq; in habilis ad alia per extravag. execrabilis Ioann. 22. de prebend. ut supra dixi ad Reg. 1. nu. 25. vers. octavus est casus, & ad Reg. viii. glo. vii. nu. 15. in fi. nec ipsi proderit ejusmodi dispensatio postquam non est impleta conditio c. super eo & verum de cond. appo Rebuff. in praxi tit. de dispens. ratione aetatis. in glo. verbi quoad

Nna 2

vixeris

vixeris: Illud autem est exploratum, quod non proderit ejusmodi dispensatio ad plura ei cui non canonicè conferuntur, vel cui non sunt canonicè collata, vel ei cui irregularis, vel criminofus est ante rehabilitationem concessam ut narrant Rebuff. in praxi tit. de dispensatione et aetate, verbo Si tibi alias nu. 1. & seq. Gemina. in c. Si gratiosè ibi textus nu. 6. Staphil. de Rescript. Apost. in forma brevis in pr. nu. 11.

Quod autem dixi execrabilem seu eum qui duo incompatibilia retinere contendit iis privari, efficiq; inhabilem ad alia, juxta dictam extravag. execrabilis, intellectum habet post pacificam demum secundi possessionem, Lessius. de Inst. & iure lib. 2. c. 34. dub. 27. nu. 141. Farinacius decis. 109. in antiq. & decis. 657. par. 2. in Noviss. ubi fuit dictum coram R. P. D. Buratto anno 1615, Marty 13. beneficium primum non ceteri vacare per assecutionem secundi beneficii, nisi dicti secundi beneficii possessio pacificè habita fuerit per duos menses. Et sic nota pacificam possessionem, ut inducatur poena ista execrabilitatis, considerari non solum de facto, sed etiam de jure, id est non litigiosa, & abiq; controversia juris, & facti judiciali, & extrajudiciali, & est communis opinio, Archid. & Jo. And. in c. Commissa de electio. Felij. in c. cum Joannes nu. 33. de fide instr. Cassad. decis. 9. de caus. poss. Sarnen. in Regul. de Trienal. q. 53. Mandos. Reg. 34. q. 26. Hoveda de Incomp. c. 13. nu. 80. Mascard. de probat. conclus. 183. num. 40. Navar. consilia 14. de Prebend. Ant. Faber lib. 1. definit. Forens. tit. 2. definit. 31. Imo pacifica possessio secundi intelligenda est non de possessione sterili; sed fructuum, vel majoris partis eorumdem ut tradunt DD. & text. in cap. si tibi concessio de prebend. in 6. Lessius d. nu. 141. Nicol. Garcia tract. de ben. par. II. c. 5. §. 1. nu. 123. cum omnis possessionis effectus consistat in perceptione fructuum l. bona fidei 48. de acq. poss. Rot. decis. 1. nu. 1. de restit. spol. nisi tamen per ipsum stet quo minus recipiat stat. in l. qui universas §. quod per Colonum & in l. quavis §. si conductus nu. 2. ff. de acq. poss. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glo. 35. num. 112. & 121. Caveat ergo dispensatus, ne lapsa dispensationis tempore possideat secundum: quia dispensatio ei non proderit postquam non est impleta conditio, ut praedixi. Solet autem de stylo Curiae in dispensatione ad duo incompatibilia dari haec restrictiva: Et cum decreto quod Orator habita primodictorum Canonicatus & praebendae possessione, seu si per eum steterit quo minus illam assequatur, juri sibi in ultimodictis Canonicatu & praebenda vel ad illos quomodo libet competenti cedere, nec non dictis duobus annis elapsis infra mensem immediate sequentem, obstantos Canonicatum & praebendam dimittere omnino teneatur in manibus Romani Pontificis & non alias: alioqui singuli Canonicatus, & singula praebendae hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit, irritumque &c: Et in hoc eventu, non requiritur quod utriusq; habeatur pacifica possessio, ut perperam dicunt Staphil. tit. de Quat. in re & st. nu. benef. §. huiusmodi nu. 12. Hojedad. c. 13. nu. 79. Nam quavis primum sit

fit litigiosum, multo magis vacabit per assecutionem secundi incompatibilis pacificè possessi, ut probat Nicol. Garcia de ben. p. 11. c. 5. nu. 107. per not. Innoc. in c. In nostra de rescript. Navar. conf. 14. nu. 1. de præbend. Rebuff. in praxi tit. de tacita renunciat. vers. Tertio qui litigat Lesius de iust. & iure lib. 2. c. 34. nu. 141. Sic non exulat vacationem primi, ex eo quod non expedierit bullas, siue quibus non potest capere possessionem, si per eum stat. Idem Garcia c. 5. §. 1. nu. 140. ubi quoq; in §. 2. nu. 171. scribit hodie esse indubitatum ex Concilio Trid. sess. 24. c. 17. de Reform. at. ibi: Dummodo utrumq; personalem residentiam non requirat, Episcopum seu Legatum non posse dispensare super pluralitate beneficiorum residentiam requirentium, quem vide, ut & Joannem Randeum tract. de dispensatio per Episcopos ubi enumerat 157. casus, in quibus Episcopus dispensat, is extat in XIII. vol. Oceani juris; vide etiam Staphileum de litt. grat. tit. de Secunda forma expectat. num. 4. & 5. ubi scribit nullum præter Papam posse dispensare, ut unus possit obtinere duos, vel plures Canonicatus in eadem vel aliis Ecclesiis: quod verum est, inquit, si requirant residentiam, vel nisi sint tenues, & minus sufficientes ad vitæ sustentationem Io. Anan. c. litteras de concess. præb. & idem 13. dicendum de Canonicatu, & Parochiali, quia Papa dumtaxat solet dispensare, non autem eo inferior, ut dicam Reg. proxima, cum autem Papa dispensat, solet dare restrictivam hanc: Volumus autem quod Canonicatus & præbenda, ac Parochialis Ecclesia eju modi debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura in dicta parochiali nullatenus negligatur, sed eorum congruè supportentur onera consueta, quodq; dictus N. eidem Parochiali deservire, & apud illam personaliter residere, nec quicquam ex ipsius servitio debito prætermittere debeat, ac pro illis diebus, & horis, quibus dictæ Ecclesiæ Sancti N. ratione Canonicatus & præbendæ prætaetorum non inservierit, distributiones prætaetas non lucretur. Et ejusmodi clausulam habuit nuper in sua dispensatione Dns. Hermannus Kinkius Rector Ecclesiæ Parochialis Sancti Petri oppidi Aquenob. assecutionem Canonicatus, & præbendæ S. Adalberti ejusdem Oppidi vigore Precum Imperialium. Alias porro similes restrictivas clausulas vide supra ad Reg. VIII. Cancell. glo. 7. nu. 16.

B Non debet extendi ad Baccalaureos) Gradus enim Baccalaureatus non est necessarius ad gradum Doctoratus saltem in Italia, sed benè in Francia juxta Concordata, in quibus insuper præstituitur tempus studii, videlicet Baccalaureatus in jure quinquennii. Unde autem Baccalaureus derivetur supra scripti ad Reg. proximam in verbo Baccalaureis, quæ hic non repeto, in Theologia per sex saltem annos, & in artibus per triennium §. præterea per collat. in Concord. alias in Francia non potest suo juvari gradu quia promoti censentur per saltum, quibus non prodest gradus §. monemus de collat. in Concord. Rebuff. in praxi dit. de dispens. ad plura ben. nu. 44.

C Ad omnia contenta) Adde Rebuff. in Repet. l. Vnica C. de sent. qua pro eo quod interest profero in glo. verbi & non ex quibusdam. Farinacium decis. 73. in Noviss. Gabrielium tract. commu. conclus. lib. 9. conclus. 1.

D Detur potestas permutandi) Quo casu etiam poterit fieri coram Ordinario Rebuff. d. titulo verbo vel ex causa perm.

E Intelligitur de primis duobus) Hinc fit ut dispensatio de obtinendis duobus incompatibilibus, consumetur in duobus prioribus incompatibilibus; Mand. ad Reg. VIII. Cancell. q. 7. nu. 4. nisi hoc quoq; in dispensatione expressum sit, ut dispensatus utrumq; vel alterum incompatibilium dimittere, & in locum dimissi vel dimissorum aliud recipere possit, atque ita respondit eruditiss. ille Wamels. Antecessor juris in Academia Lovaniensi, magnum nostri Belgij decus & ornamentum, in conf. 16. nu. 36. de Electio. volum. 1. Quinimò, dispensatio obtinendi unum beneficium, restringitur ad primum & unicum, adeò ut illud ex causa permutationis non possit dimittere, & aliud accipere ex sententia Rotæ decis. 339. de filijs Presbyter in No. verbi gratia, si Papa dispensat cum illegitimo super beneficio obtinendo, qui postea obtinet beneficium, quo obtento dimittit vel permutat & obtinet secundum, an possit illud retinere? Rota d. decis. resolvit pro negativa, ex quo dispensatio sit sortita suum effectum: licet dicat contrariam sententiam esse æquiores & benigniores, quam etiam pluresculis argumentis defendit Geminiani in c. Non potest § illud autem num. 9. de Præbend. in 6. adde Crescentium decis. 1. da Reb. Eccles. non alien. & Io. And. in c. 1. de filijs Presbyt. Sed de Io. And. non est mirandum, quia cum fuerit illegitimus plus æquo favit illegitimo, ut not. D. Wamels. conf. 33 nu. 3. vol. 1. Itaque verior est dicta Geminiani & aliorum opinio, quam quoque probat & sequitur Felij in c. si. de Treug. & pace nu. 4. Tiraquell in l. bones §. hoc sermone num. 29. Achilles de Grassi. decis. 285. alias 1. de Concess. præb. Navar. conf. 9. de Præb. Wamels. d. conf. 33. Quæ adeò usq; procedit, ut dispensatus ad beneficium, si illud consequatur, non possit illud resignare reservata pensione, ut contra Gigantem de Pensio c. 18. & Rebuff. tit. de Dispensat. ad plura num. 65. probat Garca tract. de ben. p. 1. c. 5. nu. 156. licet secus videatur, inquit, in dispensato ad beneficia in plurali, quia effectus illius dispensationis non extinguitur per adeptionem primi, Navar. conf. 26. de præb. Oldrad. conf. 215. Sed in obtinente dispensationem ad plura beneficia recipienda, advertit quod dispensatio dicitur subreptitia, si in ea non sit expressum p quod petens dispensationem alia beneficia obtinebat, etiamsi nulliter obtinisset c. non potest ibi glo. verbo modicum & Ambros. de præben. in 6. Gambar. de Potestate leg. lib. 10. num. 287. atq; ita decidit Rota coram R. P. D. Pamp. in una Pasen. Parochial. 20. Novemb. 1613. qua extat apud Farm. p. 1. decis. 258. nu. 4. in Noviss.

Adverte interim quod dispensatus ad plura incompatibilia, censetur dispensatus 16
etiam quoad residendum, adeò quod sufficit dispensatum residere in altero : 17
Cum enim aliquid conceditur, censetur omnia collata sine quibus concessio uti
non possumus, l. 2. ff. de Iurisl. om. Iud. Pet. Gregory de benef. c. 7. nu. 8. Prostre-
mò nota quod dispensatus ad duo sub eodem tecto poterit illa retinere, etiamsi 18
alteri beneficio sit unitum aliud in eadem Ecclesia, quamvis hoc in dispensatio-
ne non fuerit expressum : Nam beneficium unitam non habetur in considera-
tione, cum sit extinctum, ita contra Rebuffum in praxi tit. de Dispensat. rat.
atatis, verbo etiamsi sub eodem tecto, tenet Garcia de benef. p. 11. c. 5. nu. 216.

Argumenta in Regul. LII. Innocentij VIII.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Papa reservat sibi semper plenitudi-
nem potestatis.</p> <p>2. Ista Regula est danda licet concernat ex-
peditionem litterarum.</p> <p>3. Episcopus an possit dispensare quoad
incompatibilia sibi invicem contigua &
tenuia, & nu. 5.</p> <p>4. Cur Regula hæc Reg. novissimorum
Pontificum non sit inserta.</p> <p>5. Vicinitas Ecclesiarum non excusat ab
incompatibilitate.</p> <p>6. Possessor pacificus incompatibilium ip-
so jure privatur beneficijs, etiam sine
alia mentione.</p> <p>7. Decretum Concilij Trid. sess. 7. c. 4.
importat canonem lata sententia.</p> | <p>8. Num hodierno jure Episcopus dispen-
set quoad incompatibilia vicina.</p> <p>9. Error juris valde dubij causatus à va-
rietate opinionum est excusabilis, &
errori facti æquiparatur.</p> <p>10. Tenuitas fructuum an excuset ab in-
compatibilitate.</p> <p>11. An expressio obtentorum beneficiorum
inducat tacite dispensationem.</p> <p>12. Episcopus non dispensat super incom-
patibilitate.</p> <p>13. Vt nec Legatus de latero.</p> <p>14. Clausula dispensationis Papalis.</p> <p>15. Constitutio Pij V. de retentione Ca-
nonicatus cum Parochiali, ut intelli-
genda.</p> |
|--|---|

Regula LII. Innocentij VIII. & Pauli V.

DE DISPENSAT. AD DVAS PAROCHIALES,
VEL DIGNITATES.

Item voluit & ordinavit quod per quamcumque signaturam
deinceps faciendam, nulli cujusvis dignitatis, status, gradus, vel
conditionis fuerit, detur dispensatio quoad duas Parochiales Ec-
cle-